



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Viator Christianvs Recta Ac Regia in coelum Via tendens**

Soliloquium Animæ. Vallis Liliorum. De Tribus Tabernaculis. Gemitus & suspiria animæ pœnitentis, seu de Vera Compunctione Cordis. Cohortatio ad Spiritualem profectum

**Thomas <von Kempen>**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

II. De tribus Tabernaculis, Christi, Moysis, & Heliæ, seu trium virtutum, Humilitatis, Patientiæ, Paupertatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53320](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53320)

auxilium  
& exem-  
plum.

gium meum. Diligam etiam sanctam Paupertatem, Humilitatem & Patientiam, sequendo viam tuam & Sanctorum tuorum.

Habebo a modo Paupertatem pro divitiis, Humilitatem pro gloria, Patientiam pro requie.

*Ioan. 6,*

Sit mihi de his cura, & placeant quaecunque spiritus requirit, quia *caro non prodest quicquam.*

Delecter in his sicut in omnibus divitiis, & pes superborum divitum, atque suaviter viventium, non moveat me.

*Abac. 3.*

Cadent enim ipsi, cum venerit dies illorum, & finis eorum sine honore. Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Jesu meo: qui factus est mihi exemplum paupertatis, humilitatis & patientiae.

CAP. II. *De tribus Tabernaculis, Christi, Moysis, & Heliae, seu trium virtutum, Humilitatis, Patientiae, Paupertatis.*

CONsiderans ergo praedictas virtutes, in te Domine, & in qui-

quibusdam servis tuis, inuenio te super omnia humilem; Moysen verò seruum tuum valde mansuetum, & Heliam multum pauperem.

Num. 12.  
3. Reg. 17.

Recordor quoque illos tecum in monte aliquando apparuisse, & qualiter Petrus ait: Domine, si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, & Helia unum.

Matt. 17.

Tria tabernacula tribus virtutibus, & totidem inhabitatoribus assignata.

Secundum quem modum, prædictas virtutes quasi tria tabernacula aspicio, in quibus habitare desidero.

Si dixerò, quòd Dominus meus habitaverit in tabernaculo humilitatis, quid convenientius?

Discite (inquis) à me, quia mitis sum, & humilis corde.

Matt. 11.

Igitur tabernaculum tuum Domine Humilitas est, in quo vere Spiritus sanctus requiescit.

Christo quasi humilitas;

Unde scriptum est: Super quem requiescam, nisi super humilem & quietum, & timentem sermones meos?

Isaia 66.

Moyses verò quale tabernaculum habuit? Si mansuetudinem ejus considerauero, non dubium

Moysi patientia;



quin erit *Patientia*. Erat enim (Scriptura testante) *Moyſes* vir mitiſſimus ſuper omnes homines qui morabantur in terra. Hoc tabernaculum factum eſt ſecundum exemplar, quod in monte monſtratum eſt, ubi Dominus ait: *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram.*

*Matt. 5.*

**Heliae  
paupertas.**

Helias jam venit: ſed eamus & videamus, ubi habitaret quod ſi paupertatem & abſtinentiam illius inſpexero, *Paupertas* utique reſpondebit; Quia ego ſum.

*3. Reg. 17.  
c. 19.*

Habitavit in tabernaculo paupertatis, magnus ille Helias propheta. Teſtantur corvi, qui eum paſcebant: ſpelunca, in qua latebat: aſperitas veſtium, quæ eum tegebat: & Angelus Domini, qui ſub cineribus panem & aquam illi miniſtrabat.

**Quàm jucundum morari in his tabernaculis.**

2. Quàm bonum eſt nos hic eſſe, & quàm jucundum in his tabernaculis habitare? O ſi merear inter ſanctorum tuorum numerum, unus de minimis inveniri, ut locum inveniam in domo tua: & cum defecerit virtus mea, illi me recipiant in tabernacula ſua!

Quàm

Quam felix etiam essem, si inter tam preciosissima tabernacula, vel parvulum unum mihi ædificare possem: ut dignaretur ad me venire Dominus Deus, & mansionem facere!

Scio enim, quod libenter habitat in his virtutibus Dominus & rex virtutum.

Nunc igitur loquere Domine ad servum tuum, quia audit servus tuus; & ostende mihi secundum multitudinem misericordiarum tuarum, sanctitatem *Paupertatis*, gratiam *Humilitatis*, & fortitudinem *Patientie*.

CAP. III. *Paupertatis religiosæ commendatio.*

D. Quoniam in verbis meis quæris consolari, & in his tribus virtutibus optas erudiri, libenter faciam quod precaris.

2. Sed de *Paupertate*, quæ initium harum videtur, sermo incipiendus est. Beatissima *Paupertas*, quæ specialem apud me obtinet sanctitatis locum, in tuo cor-

*Paupertas* Christo singulariter amata.